



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XX. Quibusdam Virginis reliquijs maximum incendium fuit  
extinctum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

& amplissimè patet; & omnes, qui eos piè inuocant, re ipsa eorum benignitatem experiuntur, ac sentiunt; nec unquam falluntur.

## MIRAC. VIRG. XX.

*Quibusdam Virginis reliquijs maximum incendium fuit extinctum.*

**C**harissima pignora quarundã Virginis reliquiarum, Apostolorumq., & D. Martini ipse Gregorius aureae cruci inclusa semper gestabat. Fortè pauperis rustici tuguriolum aridis frõdibus confutum, uehementi igne accensum conflagrabit. In felix pauperrimarum aedium dominus unã cum uxore, & filiolis maximam aquarum copiam afferebãt, ut flammam extinguerent. Sed tam acriter ignis oppreserat; ut omnia absumenda essent, ni opem beatus uir adtulisset. Contra flammam reliquiarum crucem ipso conijciente; non aliter eae fuerunt extinctae, ac si illis imperandi sancto uiro ius, ac potestas fuisset. cur autẽ Virginis nomen leuissimas, & caducas flammam non tollat; cum illum pepererit, qui aeternarum flammarum, & prius omnia uorantium, impetum repressit?



MI-